

AD
MEMORIAM
VIRI VENERABILIS
M. IOANNIS FRIDERICI

ECCLESIAE DEI QVAE BRISNITIAE DOMINARVM
PASTORIS ET DIOECESIOS TAVTENBURGICAE
SVPERINTENDENTIS MERITISSIMI
PARENTIS SVI OPTIMI

DIE NVPERO XXI. IVLII
PLACIDE DEMORTVI

IN AEDE BRISNITIENSIVM MAVRITIANA

DIE XXV. AVGVSTI A. R. S. MDCCXXVI.

ORATIONE FVNEBRI

PIE RECOLENDAM

PERREVERENDOS DIVINI VERBI
IN DYNASTIA TAVTENBURGICA
MINISTROS

DECENTISSIME INVITAT

FILIVS

M. IOANNES CHRISTLIEB FRIDERICI

CLEMENTISSIME DESIGNATVS BEATI PARENTIS SVGCESSOR.



logr. erud.

210, 52.

Vitt. Erud. fing. - Vol. F-5



Ere Imperatore dignum est, quod EVSEBIUS PAMPHILI, ecclesiae Caesariensis, in Palaestina, episcopus, ex mente CONSTANTINI, magni illius primique AVGVSTORVM, qui augustissimam de IESV CHRISTO doctrinam aperte ac palam profesi sunt, de sanctissima DIE DOMINICA, quam, cum maxime ad ductum diuinorum veteris instrumenti librorum, sabbatum nuncupamus, adnotatum reliquit, quando illam *ἡμέραν, τὴν κυρίαν ἀληθῶς καὶ πρώτην ὄντως κυριακὴν τε καὶ σωτήριον, τὴν δὴ καὶ Φωτὸς καὶ ζωῆς, ἀθανασίας τε καὶ ἀγαθῆ παντὸς ἐπαύνημον,* hoc est: *diem, qui reuera primus & caput ceterorum, quique lucis, vitae, immortalitatis atque omnis boni vocabulo adpellatur, in oratione de laudibus Constantini, capite nono,* denominat. Exhortationem ad serium piarum precum, omnibus & singulis diebus dominicis, pertractandum studium, in cordibus militum suorum, hoc ipso istarum dierum elogio, eo efficacior reddere, summus imperator, prout historicus noster tradit, pie conatus est. Et cum omnium genuinorum CHRISTI fidelium de eadem idem, & adhuc longe excellentius, sit iudicium, eo minus dubitandum, fuisse quosdam ex illis, qui, liberrimae diuinae voluntati se quidem vnice committentes, serio optarunt, vt, per DEI gratiam, sibi liceret, eiusmodi saluberrima die, hanc caducissimam vitam cum aeterna commutare; quanquam nec vllum huius rei vestigium mihi, potiora eruditae antiquitatis monumenta, eum in finem, sedulo euoluenti & perscrutanti, haecenus, obuenerit. Quod Vir venerabilis, M. IOANNES FRIDERICI, fidelissimus ecclesiae, quam DEVS hic *Brisnitiae dominarum* constituit, *pastor, dioeceseosque Tautenburgicae superintendens* vigilantissimus, beatus PARENS meus, numquam, quantum ego intellexi, hac in parte vouit, istud aeternum NVMEN Ipsi benignissime concessit, vt dies illa *regalis*, quam, per XL. annos, sanctissima DEI oracula populo publice proponendo, explicando, inculcando absumserat, quamque deuotissime peragendam perpetuo vrserat, Ei nouissima fuerit, illum, ex CHRISTI resurrectione, de sua, etiam moribundum, longe certissimum reddiderit, atque ad aeternum beatorum in coelis sabbatum, quod omni luce, vita, immortalitate ac reliquo bono abundat, promouerit, finita omni huius vitae inquiete, cui expositus est *Planiae Variscorum*, die v. augusti mensis, A. M DC LIV. natus parentibus probis & honestis, patre IOANNE FRIDERICI, ciue & coriario, matre vero SVSANNA, e gente WIDEMANNIA, quos ambo, summam senectutem adsequutos, & ultra L. annos,

nos,

nos, raro exemplo, coniuges, per quatuor lustra, solus sustentavit. Ex paterno genere *atauum* habuit, virum de puriori DEI coetu pie promeritum, M. CHRISTOPHORVM FRIDERICI, natione *Bohemum, apud Plauenses pastorem & superintendentem*, cuius filius, TOBIAS FRIDERICI, Nostri *abauus, ecclesiae Koehranae*, dioecesi Grimmensi adscriptae, se dextrum & probum exhibuit *pastorem*. Maternum genus, quod a matre *Pfundelianum*, haud parum nobilitarunt viri, tum corporum tum animarum curam in vita egregie gerentes, D. NICOL. WIDEMANNVS, *medicus & physicus Plauensis*, ob constitutum ex familia sua ortis studiosis largius stipendium, quo cum beato PARENTE gratus vsus sum, immortalis nomine donatus, & M. MARTINVS PFVNDEL, *pastor & superintendens eiusdem ciuitatis* eximius, huiusque filius, M. MARTINVS PFVNDEL, *Geilsdorfi*, in dicti oppidi agro, pastor, nostri *abauus*. Horum maiorum suorum, eorumque virtutum se semper strenuum aemulatorem comprobavit, & ab anno aetatis quarto, quo, curantibus parentibus, scholam patriam, cui tum praefecti GEORG. ANDREAE, baccalaureus, CONRADVS TROMMERS, cantor, M. IOANNES SCHELLERS, con-rector, & M. CHRISTOPH. BARTHOLOMAEI, rector, omnes docti & probi viri, vsque ad decimum quartum, sedulo frequentavit, eo decenter admissus est, vt se genuinum eorumdem abnepotem efficeret. In quod eo alacrius incubuit, postquam Ipsi concessum, patriam cum *electorali Portensi schola* permutare, in quam, A. M DC LXVIII. receptus, totum sexennium, strenuo pietatis & bonarum artium exercitio, quo multis aliis laudabiliter praestabat, deditus, ducibus ad illud dexterrimis & percelebribus viris, qui tunc temporis istud pietatis & sapientiae domicilium moderabantur, M. IOANNE STOHRIO, cantore, M. GEORG. WEISSIO, & M. CHRISTOPH. FRANCKIO, collegis tertiis, M. CHRISTIANO GVNTHERO, con-rectore, IOANNE MANITIO, SS. Theologiae licentiate, pastore & inspectore, M. IOANNE KVHNIO, & M. IOA. GEORG. LAURENTII, rectoribus, bene exegit, istoque felicius finito, pius, & ad studia academica egregie praeparatus, Lipsiam abiit, pietatis, industriae, obsequii & modestiae suae peculiare testimonium, cum proximis dictorum virorum votis, quorum, admirabili diuini NUMINIS directione, prima fundamenta posuerat Portensium Gamaliel, venerandus senex ille, KVHNIVS, qui, cum, grauius rectoris munus genero, propter senium, tradens, Numburgum secederet, nostro PARENTI soli, omnibus istius aetatis alumnis praetermissis, amplissime diuinam gratiam adprecabatur, de quo hic numquam non impensius sibi gratulabatur, ex voto reportans. Postquam A. M DC LXXIV. *Lipsiam*, rectore academiae magnifico, NICOLAO CREVSELIO, Icto excellenti, peruenit, & vrbis huius latissimum eruditionis campum; quem ingenuis bonarum artium cultoribus aperit, perspexit, laetissimus in illum excurrit, & sicuti iam in electorali schola commorans, dudum percepta oratoriae, poeseos, historiae, geographiae, philologiae, & rei literariae, immo ipsius sanctissimae theologiae dulcedine vnice delectabatur; ita in his & aliis diuinae ac humanae sapientiae partibus se laboriosius exercuit, & exinde virorum celeberrimorum, IACOBI THOMASII, OTTONIS MENCENII, CHRIST. FRIDERICI FRANCKENSTEINII, VALENTINI ALBERTI, IOACHIMI FELLERI, FRIDERICI RAPPOLTI, IOA. ADAMI SCHERZERI, IOA. BENEDICTI CARPZOVII, & DANIELIS GRIEBNERI,

institutionibus publicis & priuatis sedulus interfuit. Duobus, & quod excedit, annis elapsis, contendit in academiam *lenensem*, eiusdemque ciuium numero nomen suum adposuit, sub regimine academico CASPARIS POSNERI, philosophiae naturalis professoris eruditissimi, & hic, ad continuandum in rebus sacris studium, elegit sibi duces theologos summos, IOANNEM MVSAEVM, IOA. GVILIELMVM BEIERVM, FRIDEMANNVM BECHMANNVM, & qui horum labores, ex philologia & antiquitatibus Ebraeorum, adiuuit, IOANNEM FRISCHMVTHVM, virum excellentissimum. Venerat in illustri hac academia prae ceteris in familiaritatem CASPARIS SAGITTARII, theologi & historici consummatissimi, cuius summa humanitate commotus, *historiam Ioannis Friderici, Electoris Saxoniae, pii, magnanimi, constantis, inclyti*, quam, eius consilio, directione & adminiculis subfultus, ipse confecerat, publicae eruditorum disquisitioni, praeside hoc suo SAGITTARIO, A. MDC LXXVIII. exeunte, non infeliciter commisit. Sumtus, quos publicum hoc profectuum academicorum specimen requirebat, vltius exhauserant eiusdem facultates, quibus haec studia sua in academiis aluerat. Sed antequam hae prorsus deficiebant, illustrissimo comiti, SIGISMUNDO RICHARDO de TAETTENBACH, domino in *Geilsdorf*, a viro maxime reuerendo, M. IOANNE HEIFFELIO, *pastore & superintendente Plauensi*, commendatus, *Geilsdorfum* euocatus, & WOLFGANGI EHRENREICH, *Lib. Baronis* de PRESING, nobilissimis liberis, ibi tum apud perillustri matris suae fratrem agentibus, praefectus est. Cum vero splendidissimae Lipsiensium academiae se propiorem optaret, adripuit oblatam occasionem, *Ilenburgum* A. MDC LXXX. requisitus, petiit, loci illius spectatissimi *pastoris & superintendentis*, D. IOA. CHRISTOPHORI NICOLAI, filiolo optimos ad veram sapientiam aditus fidelissime monstrauit, & se ipsum, praestantioribus subsidiis instructus, ad sanctum diuini verbi ministerium magis magisque adcinxit. Recedebat interea, ex diuina gratia, lues illa saeuissima, de qua alma philuraea pauco ab hinc temporeangebatur, quo facto & NOSTER in illam denuo adpellebat, & proxime post reditum suum, supremos in philosophia ab incluto Sophorum confessu, A. MDC LXXXI. consequebatur honores. Ex hoc tempore a pietissima illustris ICTi, CHRISTIANI PACKBV SCHII, vidua in domum & familiam receptus, eiusdem carissimos liberos pietatem, morum integritatem, & ipsas bonas artes probe docuit, residuum autem tempus disertissimis, ea aetate, sacris oratoribus, CARPZOVIO, GRIEBNERO, TILLEM. ANDR. RIVINO, AVG. PFEIFFERO sacrum esse voluit. Sequenti anno in Marchiam Brandenburgicam, & paullo post in Thuringiam abiit ad generosissimum virum, IOA. CHRISTOPHORVM de WERTHERN, *dominum Lossae, circuli thuringiaci praefectum, & Portensis scholae inspectorem* grauisimum, atque illius nobilissimae proli fuit ab institutione. Ast, tertia vice, A. MDC LXXXIII. reuertebatur Lipsiam, reduxque factus, ex benignissima DEI voluntate, propensissimum RIVINI & GODOFREDI GRAEVII, senatoris & poligraphi primarii, postmodum autem consulis Lipsiensis magnifici, erga se expertus est fauorem, & apud GRAEVIUM, fere per tres annos, prudenti iuuentutis gubernationi vacauit, simul per solidissimas in theologia & ecclesiae historia doctrinas SCHERZERI, IOA. OLEARII & THOMAE ITTIGII, quibus, vt reliquis summis viris, optime erat cognitus, scientiam suam theologiam in dies praestantio-

rem

rem sistere, continuo adlaborauit, in vrbis basilicis varios sacros sermo-
nes, & feriis paschalibus, A. M DC LXXXV. publice orationem, in templo
academico Paulino, *de pace, quam Christus ex sepulcro nobis adtulit*, quae
& typis exscripta prostat, habuit, se illis societate coniunxit, qui maius
collegium, vt loquuntur, concionatorium, diebus lunae, ex ritu maio-
rum, frequentandum, tum conficiebant, & illustri academiae & senatui
Lipsiensi dignum exhibitis beneficiis se vbiuis praestitit. Medio fere ho-
rum trium annorum spatio, academiam Vitebergensem inuisit, & dein-
de in ea, dicto supra anno, sub summi nominis theologo, IOA. FRIDE-
RICO MAYERO, isto tempore, *rectore magnifico*, publice, de *corroborati-
one angelica agonizantis Iesu*, disputauit. Et quo, variis superatis obla-
tarum functionum tentationibus, tandem sacris muniis, quorum proxi-
mus candidatus iam ante quosdam annos a serenissimo Principe, do-
mino MAVRITIO GVILIELMO, *duce Saxo-Citizensi*, clementissime fue-
rat denominatus, cum DEO, admoueretur, circa finem eiusdem anni,
Cizam se conferens, *scholae huius loci rectori*, CHRISTOPHORO CEL-
LARIO, polyhistori excellentiori, probatam dedit operam in emendan-
do, & augendo latinitatis thesauro Reyheriano, istoque molestiori la-
bore exantlato *pastor Benshusanus & Ebertshusanus*, in terris *Henneber-
gicis*, a nuncupato serenissimo Principe, A. M DC LXXXVI. est designatus,
quo ipso durante etiam demandatum hoc sacrum munus, praeceuntibus
consuetis ritibus, cum DEO, feliciter auspiciatus. Ex DEI virtute, isto per
XI. annos fideliter functus erat, cum A. M DC XCVII. DEO volente, & se-
renissimo principe suo iubente, in dynastiam Tautenburgicam se con-
uerteret, & hic *Brisnitiae dominarum pastoris & superintendentis* officii-
um, more veterum, susciperet. Sustinuit hoc ultra XXIX. annos, ad quos
nullus ex antecessoribus peruenit. Non exiguum BEATO aduersitatum,
quae ex dextra muneris administratione oriebantur, leuamentum, post
DEI opem, serenissimi MAVRITII GVILIELMI, crebrius hoc loco, cum
suis, praesentis, fuit gratia & benignitas, qua ei, per totam vitam, cle-
mentissime erat addictus, quam exacte imitabantur serenissimi princi-
pis serenissimus frater, dominus HENRICVS FRIDERICVS, *dux Saxo-
Neostadiensis*, & serenissima CONIVX, quibus omnibus se eo plenius
probatum, atque varia collata gratia non indignum exhibuit, dum nihil
sibi ab Illis expeteret. DEI itaque & Principis sui gratia fretus, non mo-
do functiones suas sacras alacri animo continuauit, & penitus destru-
ctum & absumtum *fiscum*, pastorum in dioecesi relictis viduis & liberis
dicatum, nullis molestiis aut laboribus deterritus, plene restituit, con-
firmavit, amplificauit, sed & studiis, theologo dignis, quibus nullo non
tempore se reficiebat, simul assidue vacauit, vt, ex ea causa, non semel
honores in theologia summi a Principe & illorum magnificis distributo-
ribus ipsi oblatis, quos tamen, & omnes alios modeste semper deprecatus,
eo minus autem adfectauit. De medio adserto nostro testatur haud
rara, sed & peropportuna frequentatio vicinae academiae Ienensis, &
cum viris, ista & praesenti aetate, inibi celeberrimis, familiarior conuersa-
tio, itemque selectiorum librorum mediocris supellex, quam possedit,
& praecipue diuersa edita industriae specimina. Ita A. M DC XCIX. insti-
tuto pastorum conuentu, *confessionem Paulinam*, de Christo *Θεουδωπρω*,
ad illustrationem loci VIII. & IX. in formula concordiae, ex Rom. IX.
comm. 5. in publicam lucem emisit. Anno MDCC. serenissimo Principi suo

de recens nato filiolo, iuuentutis principe, publicata de *Porphyrogenitis diatribe*, deuotissime congratulatus est. Insequebatur A. M DCC V. ex mandato tanti Principis, *liturgia vetus & noua, siue collatio rituum liturgicorum ecclesiae christianae priscoe & hodiernae*, vt taceam alia nondum edita scripta, itemque varias latinas epistolas & carmina, quae non vna occasione, non vno tempore conscripsit. Neque ab hisce laudabilibus coeptis deinde destitisset, nisi irruens saeuior podagra, cum non paucis aliis incommodis, Ei perpetuo impedimento fuisset. Acerbissimam, inchoata iam senectute, beate defuncto PARENTI Principis sui clementissimi praematuram mortem fuisse, ex supra dictis facillime colligendum. Sed quam HIC seni PARENTI praestitisset gratiam, eadem clementissime AVGVSTISSIMVS REX & ELECTOR noster beatum complexus est, isti me in functionibus sacris, indulgentissime, A. M DCC XXIV. substituendo. Accedamus tandem ad Beati familiam & suprema. Ecclesiae minister constitutus, cogitauit etiam de pie ineundo matrimonio, quod, DEO paterne disponente, A. M DC LXXXVI. die XVII. Maii, Plauiae contraxit cum lectissima virgine, EVA MARIA, GEORGII HELBIGII, variorum Principis in ista ciuitate redituum inspectoris, viri vere boni & integerrimi, media filia. Omnino ex animi sententia hocce conubium beato PARENTI fuit prosperum, foecundum & diuturnum. Naetus est coniugem, qua meliorem numquam a DEO sibi expetiit, quae, sicut illum omni honore & amore prosequuta est, ita non vna prole exhilarauit. Genuit enim cum illa *sex liberos*, quatuor filios & duas filias. Priores duo filii, CHRISTLIEB, & IOANNES CHRISTFRIED, cum tertio, cui, ante natiuitatem demortuo, DEVS in coelis nomen dedit, morte praecesserunt Parentem. Vtraque vero filia, & ego IOANNES CHRISTLIEB, quartus filius, hic *Brisnitiae dominarum*, A. M DC XCIX. natus, per DEI gratiam, supersumus. Natu maior filia, IOANNA DOROTHEA, *Benshusii*, A. M DC LXXXVIII. in lucem edita, felix matrimonium, A. M DCC VI. iniit cum viro nobilissimo & consultissimo, IOANNE SCHIEFERDECKERO*, quae mater decem liberorum facta, de quibus sex, *Ioannes Fridericus, Carolus Fridericus, Carolina Dorothea, Christiana Charlotta, Ioannes, & Christophorus Gotthold*, in prima sua infantia, hac vita functi, quatuor autem filiae, *Eleonora Dorothea, Anna Sophia, Ioanna Friderica, & Christina Magdalena*, adhuc in Parentum gaudium viuunt. Altera filia, SVSANNA DOROTHEA, etiam *Benshusii* nata, & quidem A. M DC XCII. ex voto, A. M DCC XIII. nupsit viro perreuerendo, M. IOANNI MARTINO IVGLERO, *ecclesiae Vetteburgensis pastori* optime promerito, ex qua beatus PARENS duos exoptatos vidit nepotes, ambo superstites, *Ioannem Fridericum & Carolum Augustum*. Delectationem illam, quam Beato hocce matrimonium, hi liberi & nepotes, ac varia, immo innumera DEI beneficia adferebant, haud raro acerbiori amaritudine permiscebat diuersa interueniens calamitas, molestia & afflictio. Graui & multis laboribus referto praecerat officio. In varia veniebat vitae pericula, praesertim A. M DCC XVI. cum, media nocte, magna truculentorum furum turba, effractis quinque foribus ad eius cubilis ianuam vsque penetrarent, & vitae ac bonorum ereptionem minitarentur; ex quibus tamen semper saluus, & de diuina erga se gratia amplius convictus, cum DEO, rediit. Integros XVI. annos, per certa interualla, vehementibus podagrae doloribus est excruciatum, qui, quamuis antea

* *dynastiae Tautenburgicae praefecto,*

diutis-

diutissime satis robusto sanoque & valido gauisus corpore, nec umquam grauiori morbo, praeter dyfenteriam, cum qua Lipsiae, A. M DC LXXXV. grauiter conflictabatur, oppressus esset, omnes, successu temporis, infregerunt vires, totum bonae valetudinis statum turbarunt, & vniuersum corpus penitus eneruarunt. Cesfabant equidem, ante quatuor annos, non parum illi dolores, adeo, vt morbo isto molestissimo prorsus liberatus videretur; sed transiit, ex sententia praestantissimorum medicorum, podagra in haemorrhoidas coecas vel mucosas, & quae his subsunt, quibus, ex eo tempore, nulla data remissione, omnes reliquae vires deperditae, & ex corpore plenissime ablatae sunt. Amisit exinde Beatus omnem faciei ruborem, qui antea Ipsi vere erat proprius, & sensim defecerunt spiritus, quos vocant, vitales. Die xviii. Iulii, praeteriti anni, in sacra illa functione erat occupatus, vt praesentem populum, ex aede sacra, pronuntiata solenni benedictione, dimitteret, sed dum praecedentes decantandas preces finit, grauius patitur animi deliquium, & incurvatis genibus, minatur lapsum, cui quidem circumstantes opportunè praeueniunt, Ille tamen hoc ipso, & iis, quae illi erant adnexa, totus debilitatur. Decubuit ob hanc causam grauisime per longius tempus, sed spes nos alebat, Eum proxime ad pristinum vigorem reditum esse, dum, post octo hebdomadas, de nouo sacrum conscendebat pulpitem, ex illoque noua, verum, quod nobis tunc occultum, vltima pro concione faciebat verba, nec non, autumnali tempore, quasdam paroecias visitabat. Irruebat vehementior hyems, per quam mediocriter, vti & per vltimum ver, vsque ad praesentis aestatis initium, valebat, ita tamen, vt se in conclaue suam continuo reciperet. Media aestas, quae Beato & nobis optimam valetudinis recuperationem promittebat, vitae Eius erat insidiosissima. Quod Noster e longinquo prospiciens, non tam de corporis medicina, cuius effectus adhuc nulli, quam animae, cui vere diuinam efficaciam inesse, iam diu expertus erat, se pie sollicitum declarabat, vnice vrgens, vt sanctissima CHRISTI coena, coniunctim, licet diuerso loco & tempore, prima dominica die, quae SS. TRINITATIS festum sequitur, vteremur, quod cum & ab Illo, inter feruidas & fidei plenas preces, factum esset, me his verbis adloquebatur: *gaudeo de iam peracto hoc saluberrimo negotio, agat nunc DEVS mecum ex voluntate sua;* in qua etiam vsque ad finem lubentissime acquieuit. Post paucos dies, ex variis indiciis, non temere, quamuis tristissime, intelleximus, DEVM placidam Eius mortem nunc omnino adceleraturum esse. Nam exerebant se crebriora animi deliquia & iterati singultus, de erat omnis adpetitus & facultas capiendi cibum, praeualebat in dies marasmus & alia, ex quibus, iudicante illustri academiae Ienensis medico sene, IOANNE ADRIANO SLEVOGTIO, & praefecturae Tautenburgicae physico praecellentissimo, GVILIELMO RVDOLPHO SCHAEFFENBERGIO, quorum dexterrimis consiliis ac medicamentis olim & olim vti sumus, cum destructione virium & facultatum, vitae propriarum, mors praesentissima censenda. Et hanc impavidus NOSTER expectabat, fidem suam in DEVM & IESVM, saluatorem suum, spem & patientiam suam, non vno argumento, commonstrans, & ex verbo DEI confirmans, *coniugi, liberis, generis, nepotibus & neptibus* suis, magno animo, inter piissimas preces & vota pro nostra salute, adclamans: VALETE per DEVM! & abs me, filio vnico, benedictionem illam, qua moribundi ab ecclesiae

ecclesiae ministris, communissime, ad salutarem mortem, deuote DEO
commendari solent, desiderans, qua etiam Illi, etsi moestissimus, non
defui. Nec diutius differebat diuina bonitas beatum Eius vitae exitum,
sed illum, proxime sequenti die XXI. Iulii, in quem, hoc anno, dominica
V. p. Trin. incidit, audita hora vndecima antemeridiana, & ita ea ipsa,
qua saepissime olim Beatus sacros suos, in eiusmodi diebus, matutinos la-
bores finiuerat, placidissimum, *nobis omnibus, optima MATRE mea, di-
lectis sororibus meis, earumque maritis ac liberis, meque ipso*, praesen-
tibus, & pie eius mortem lugentibus, elargiebatur, superato aetatis anno
LXXII. si nondum integrum mensem suppleuerimus, ministerii vero XI.
Pietas nostra in hunc beatum Virum, de meis, & maxime me, aeternum
meritissimum, iussit, vt, ex Eius desiderio, exanime corpus, altero sta-
tim die, communi matri, terrae, in huius loci sacra aede, inter mode-
ratum planctum & lacrymas, ceu nobis pretiosissimum depositum, con-
crediderimus. Iussit vero etiam, vt, ex Illius vltima voluntate, proxi-
me instanti dominica X. post TRINITATIS festum, quae dies XXV. praesen-
tis mensis sextilis, Eius memoriam, grata recordatione dignam, deuote
recolamus. Quod hoc nostrum institutum, aequae vt, nuper, prius,
VOBIS, VIRI PERREVERENDI atque DOCTISSIMI, qui CHRISTI ecclesiae
fidissimi, per dynastiam Tautenburgicam, estis ministri, hisce publicis li-
teris, officiosissime, significandum fuit, quo, in supremo SEPHORI VESTRI,
beati PARENTIS mei, honores, & in meum meorumque solatium, quod
iam pridem, ex maxima parte, benigne procurastis, vnde & Vobis nos
habetis deuinctissimos, dicta die dominica, circa horam primam post-
meridianam, huc, vt rogamus, optamus & speramus, adueniatis, & vi-
rum perreuerendum, M. CHRISTIANVM RODIGASTIVM, *Poxdorfen-
sium pastorem* fidelissimum, prouidum beati PARENTIS animae curato-
rem, excellentissimum sancti apostoli Pauli effatum, Rom. V. cap. a I.
vsque ad x. comma, sacra oratione, cum DEO, publice exponentem,
beneuole auscultetis. Quem Vestrum in nos, de nouo, declaratum ad-
fectum, dilectissimus adfinis noster, IVGLERVS, in ipso actu funebri,
gratisimo animo praedicabit, Vobisque vltius PARENTIS nostri memo-
riam decenter commendabit. Non dubito, VOS, VIRI PERREVEREN-
DI, de beate DEFVNCTO mecum constanter adserturos esse: Vixit
DEO, eiusque ecclesiae: vixit conscientiae suae: vixit nobis & bonis omni-
bus, & hinc Illi porro adclamatorios: anima Tua apud DEVM maxi-
mum sabbatum in aeternum celebret, ossa Tua quieta in sepulcro, vsque
ad nouissima tempora, iaceant, & Tua memoria omni posteritati sit
gratisima! Scribebam Brisnitiae Dominarum, die XIX. Augusti,
A. R. S. M DCC XXVI.

IENAE

EXCVDENTE PETRO FICKELSCHERRIO.